



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

carum vires toto jam orbe formidabiles retunderent. Zizimum Sultanum Bajazetis Imperatoris Fratrem excepit, ac ejus operâ Bellum Bajazeti inferre meditabatur: qui ut illud à se averteret, quot annis Romam quadraginta aureorum millia, ad alendum fratrem submitit, atque Pontifici dono dedit, ferrum lanceæ quo latus Christi in Cruce perforatum est, quod Religiosè in Vaticana Sancti Petri Basilica asservatur, & visitur.

Constat igitur ad unum omnes ab Eugenio IV. usque ad Alexandrum VI. ex ordine Pontifices, foederi Belloque Sacro totis animi viribus incubuisse, nimirum Nicolaus V. Calistus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Horum vestigiis institère Leo X. Adrianus VI. Paulus III. Pius V. cujus operâ Solimannus Melitensem obsidionem solvere coactus est.

### §. III.

**A**Tque ut cœteros taceam; horum ac nominatim Pii II. & Pii IV. tam spiritus quàm nominis hæres

& æmulus Pius V. suis suorumque  
 commodis neglectis, curas omnes ad  
 publicam salutem convertens, Bel-  
 lum sociale cum Rege Catholico, &  
 Venetis iniit, ac de Turcis memorabi-  
 lem illam apud Naupactum, in sinu  
 Lepantino victoriam retulit anno  
 Domini 1571. Græciam multaque alia  
 erepturus inimicis Crucis Christi, si  
 Ducum nationumque concordia con-  
 stitisset, & expeditionem feliciter  
 cceptam constanter profecuta fuisset.  
 Sed Christianis accidit quod Maharbal  
 à Cannensi pugnâ dixit Hannibali:  
 „ Vincere scit Hannibal, at victoria  
 „ uti nescit. Hoc ergo illustrium Pon-  
 tificum, Urbanorum, Eugeniorum,  
 Calistorum, Piorum, cæterorumque  
 penè omnium ab Urbano II. usque ad  
 Gregorium XIII. illustre fuit opus,  
 hoc decus, quorum proindè nomen  
 & gloria in terra apud homines, æquè  
 ac in Cœlo apud Sanctissimam Tria-  
 dem & Angelos, Sanctosque in om-  
 ne ævum perennabit: utique memi-  
 nerant illi, se Pastores esse non urbis  
 dumtaxat, sed & universi orbis. Scie-  
 bant primas summi Pontificis curas

esse debere, ut fidem, Ecclesiam, cultum & regnum Christi ubivis gentium propaget. Sciebant Præsulis Apostolici proprium esse munus imitari Sanctum Petrum, cæterosque Apostolos, qui vel per se, vel per suos universum mundum Christo subegerunt. Noverant fideles, etiam infidelibus subditos, suas esse oves, sibi à Christo, ut Beato Petro concreditas; ac proinde sui officii esse eas pascere, tueri, & in libertatem asserere Filiorum Dei, quocirca muneri huic suo plenè satisfacere modis omnibus satagerunt.



NUME